



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titvlvs XVI. De Matrimonio Contracto contra interdictum Ecclesiae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

niens matrimonium dirimat? Respond. Negat. Sed ante contractum matrimonium existens; Cujus probatio si statim haberi possit, matrimonium mox irritum declarari debet; quod si probatio parata ad manum non sit observari debebit dispositio *cap. 5. 6. 7. h. t.*

## TITVLVS XVI.

De

### Matrimonio Contracto contra interdictionem Ecclesie.

**QUÆRES.** Quænam sint impedimenta matrimonii impediencia tantum? Respond. plura olim fuisse hodie autem quinque potissimum in usu esse hoc versu comprehensa

*Interdico, dies, crimen, sponsalia, votum.*

*Primum* igitur impedimentum est interdictum Ecclesie, si nimirum à Judice Ecclesiastico puta Pontifice, Episcopo vel etiam parocho ex iustâ causâ matrimonium ad tempus prohibeatur; qualis causa erit suspicio latentis impedimenti, vel non vanus timor gravium rixarum inter parentes, & metus scandali. *Secundum* est dies, id est, tempus feriarum, quo nuptiarum solemnitates prohibentur à jure, cujusmodi tempus ab adventu usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quartâ cinerum usque ad octavam paschatis inclusivè. *Tertium*, est crimen, quod est septuplex. 1. Incestus sive concubitus cum consanguineis uxoris suæ, olim in quarto, hodie factâ à Tridentino affinitatis illegitimæ restrictione, in secundo gradu. *cap. 1. de eo qui cognovit consang. uxor.* 2. Raptus sponsæ alterius *can. statutum c. 37. quæst. 2.* 3. Uxo-

3. Uxoricideum seu occisio uxoris propriae. *can. interfectores cau. 33. q. 2.* intellige si fiat sine fide data aut animo ad alia vota transeundi, sic enim esset impedimentum dirimens, ut supra tit. 7. dictum.

4. Levatio proprii filii ex baptismo, eo fine facta ut conjux priyetur debito conjugali ob contractam exinde cognationem spiritualement *can. de eo. caus. 30. q. 1.* qui desumptus est ex Concilio Moguntino. 1. Acceptio Monialis in uxorem *can. si ergo caus. 27. q. 1.*

6. Occisio sacerdotis *cap. 2. de pœnit. & remiss.* quorum ratio est, quod hæc sint delicta specialiter peccantia in leges matrimonii, utpote impedientia vel ejus contractum, ut raptus sponsæ vel liberum exercitium Juris Conjugalis, ut incestus & susceptio proprii filii; vel amicitiam huic sacramento specialia, ut uxoricidium; vel violentia matrimonium spirituale Christi, ut acceptio Monialis, vel denique peccant in eum ordinem sine quo matrimonium contrahi non potest, ut est occisio Sacerdotis. 7. Pœnitentia solemnis quàm diu durat. *can. de his caus. 33. quest. 2.* cum taliter pœnitentes luctus deceat ob crimina sua, non lætitia nuptialis. Orta tamen ex his criminibus impedimenta probabilius in desuetudinem abierunt. *Santb. lib. 7. disp. 17. numer. 8.* Quartum impedimentum impediens sunt sponsalia cum una persona contracta, impediunt enim, quò minus matrimonium cum alia contrahi possit, sponsa priore invita. Quintum denique est votum simplex castitatis.

